

inducuntibus, ac irritanti; et quod sine eorum consensu derogationes pro tempore factae nemini suffragentur, aliisque decretis suffulta, quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expressis, specialiter et expresse revocavit, litterasque apostolicas desuper confectas, et quoad ea, in quibus illa effectum nondum sortita erant, et inde secuta quaecumque cassavit, annullavit viresque et effectum de caetero non habere decrevit.

Declaratio.

§ 2. Salva tamen remanente facultate consensus per ipsos cardinales in provisionibus apostolicis beneficiorum per obitum familiarium continuorum commensalium eorundem cardinalium, etiam apud Sedem praedictam vacantium, praestandi, iuxta formam regulae Cancellariae Apostolicae super hoc editae, et in casibus tantum in ipsa regula expressis. Volentes ulterius quod eadem beneficia, per obitum familiarium continuorum commensalium eorundem cardinalium post hac tam apud eandem Sedem quam extra Romanam Curiam vacantia, etiamsi ad alicuius alterius cardinalis collationem vel aliam dispositionem pertinere deberent, etiamsi tunc cessent aliae apostolicae reservationes hactenus editae, nihilominus in posterum dispositioni Sanctitatis Suae reservata censeantur. Itaut in provisionibus talium beneficiorum super

expeditionibus litterarum illius cardinalis, cuius familiaris defunctus extitit, si ipse cardinalis tunc praesens in eadem curia fuerit, consensus requiri omnino debeat, non autem beneficia huiusmodi ad collationem seu quamvis aliam dispositionem cardinalis ordinarii ullo modo pertineant, nec eiusdem cardinalis ordinarii collatoris, etiamsi in Romana Curia praesens fuerit, consensus quoquomodo requiratur. Easdemque constitutiones et regulas Cancellariae, etiam declarationis super beneficiis familiarium praedictorum cardinalium editas, tam quoad cardinales indulta huiusmodi habentes quam non habentes, atque adeo indulta ipsa ad terminos praesentis constitutionis reduxit et moderatus fuit.

§ 3. Decernens sic in iis caeterisque omnibus praemissis per quoscumque, etc., etiam causarum Palatii Apostolici auditores et eosdem cardinales, sublata, etc.; necnon irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque, etiam praetextu facultatum, indultorum et concessionum huiusmodi, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Praedicta et quibusvis aliis regulis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis, quibuscumque non obstantibus.

Derogatio contrariorum.

Placet, publicetur et describatur. N.

INNOCENTIUS IX

PAPA CCXXXII

Anno Christi MDXCI.

Altero Comitiorum die xxix octobris Ioannes Antonius Facchinetti, patria Bononiensis, antea Sanctae Romanae Ecclesiae tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis, electus est Summus Pontifex, qui Innocentius IX voluit appellari. Sedit in pontificatu menses II, temporibus Rodulphi II imperatoris. Obiit die xxix decembris MDXCI, et sepultus est ad Sanctum Petrum. Vacavit Sedes mensem unum, diem unum.

I.

*Confirmatio et extensio constitutionis Pii V a Gregorio XIII, Sixto V, et Gregorio XIV comprobatae, de non alienandis et infeudandis civitatibus et aliis locis Sedis Apostolicae*¹.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae ab hac Sancta Sede, cui licet in-

¹ Haec Pii V prohibitio est in eius Const. LIII: *Admonet*, tom. VII, pag. 560. Et Constitutio Gregorii XIII est v: *Inter*, tom. VIII, pag. 11, ac Sixti V est xxxvi: *Quanta*, tom. VIII, pag. 670.

Bull. Rom. Vol. IX

64

digni, auctore Domino praesidemus, pie et salubriter sancita et ordinata noscuntur, ea ut perpetuo firma illibataque permaneant, non solum consensus, approbationis et innovationis nostrae munimine roboranda, sed etiam declarationis praesidio, quatenus expedire visum sit, fulcienda censemus. Et praecipue muneris nostri esse ducimus, ea quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, ad patrimonii, dignitatis et amplitudinis sanctae huius Sedis conservationem et incrementum laudabiliter disposita et constituta sunt, in nobismetipsis servare et aliis servanda tradere et demonstrare.

§ 1. Sane felicitis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, de consilio et assensu venerabilium fratrum suorum, tunc S. R. E. cardinalium, optimam et saluberrimam constitutionem edidit et promulgavit tenoris subsequens¹.

Indicatio et insertio constitutionis Pii V.

§ 2. Quam quidem constitutionem pia memoriae Gregorius XIII, Sixtus V et Gregorius XIV, Romani Pontifices pariter praedecessores nostri, sicuti in ea cavetur, servare iurarunt, ac per eorum litteras approbarunt et confirmarunt et in-

Eam confirmarunt Gregorius XIII, Sixtus V et Gregorius XIV.

¹ Omittitur insertio huius Bullae quia legi potest loco in praecedenti nota citato.

novarunt, prout in illis plenius continetur;

§ 3. Nos itaque officii et conscientie nostrae debito satisfacere cupientes, motu proprio, non ad alicuius supplicationem vel super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione nostra, in hoc primo secreto consistorio, quod cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus habemus, constitutionem praedictam et omnia in ea contenta auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus, eamque inviolabilis firmitatis robur obtinere, plenamque executionem et effectum perpetuis futuris temporibus habere decernimus. Ac praeterea eisdem motu proprio, scientia, deliberatione et auctoritate assentientibus et approbantibus eisdem S. R. E. cardinalibus:

§ 4. Declaramus eadem constitutione prohibitam fuisse ac prohiberi omnem et quamcumque infeudationem et alienationem civitatum, terrarum, oppidorum et locorum praedictorum, eidem Sedi tam immediate quam mediate subiectorum, non solum ne fiat neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam devolvantur, ac omnem et quamcumque in perpetuum vel ad tempus prorogationem et extensionem, infeudationem investiturarum ac concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, locis, nondum finitarum, ipsorumque incorporationem, quoad effectum impediendae alienationis, prorogationis et extensionis huiusmodi, non a die eorum devolutionis, sed a die ipsius constitutionis, et etiam antequam illa devolvantur, ipso iure cum omnibus clausulis et decretis in praedicta constitutione contentis, Camerae et Sedi Apostolicae factam censi.

§ 5. Insuper volumus et declaramus ut promissio et iuramentum praestitum

et praestandum de servanda eadem Pii praedecessoris praefati constitutione per nos et Romanos Pontifices successores nostros ac S. R. E. cardinales, intelligatur de ipsa Pii praedecessoris constitutione, ut supra per nos declarata, et secundum hanc nostram declarationem eandem constitutionem ad unguem et inviolate observari oportere ac debere, sicuti et nos servaturos esse promittimus, ac sancte et solemniter iuramus.

§ 6. Et ita per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Camerae praefatae praesidentes, clericos, causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, declarari et diffiniri debere; ac irritum et inane si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Ac praesentes nostras litteras in libro, quo ipsa constitutio Pii praedecessoris continetur, ac in libro, quinterno appellato, Cancellariae Apostolicae, describi mandamus.

§ 8. Non obstantibus iis, quae idem Pius praedecessor voluit non ob stare, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, voluntatis, decreti, provisionis, iuramenti et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum

Promissio cardinalium circa observantiam.

Clausula sublata.

Iussio hanc bullam describendi iuxta bullam Pii V.

Clausulae derogatoriae.

Sanctio poenalis.

anno Incarnationis dominicae MDXCI, pridie nonas novembris, pontificatus nostri anno I.

Papae subscriptio.

✠ Ego Innocentius catholicae Ecclesiae episcopus.

Cardinalium subscriptiones.

Ego Alph. episc. Hostien., card. Gesualdus.

Ego Innocent. episcop. Portuen., card. de Aragona.

Ego Marcus Ant. episc. Praestin., cardin. Columna.

Ego Ptolomaeus episc. Tusculanus, cardin. Comensis.

Ego Gabr. episc. Sabinen., card. Paleottus.

Ego Fr. Michael Bonellus episc. Albanen. Alexandrinus.

Marcus Siticus card. ab Altaemps.

Ludovicus tituli S. Laurentii in Lucina, presbyter card. Madrutius.

Nicolaus de Pelleve card. presbyter tit. S. Praxedis, vulgo de Sens.

Iulius Antonius Sanctorius, tit. S. Bartholomaei in Insula, presbyt. card. S. Severinae.

Hieronymus card. Rusticucius tit. S. Susanna.

Hieronymus cardin. Simoncellus tit. S. Prisca.

Petrus card. Deza, tit. S. Hieronymi.

Alexand. card. Floren. tit. Ss. Ioannis et Pauli.

Iulius card. Cananus, tit. S. Anastasiae.

Antonius Maria cardin. Salviatus tit. S. Mariae de Pace.

Augustinus card. tit. S. Marci, de Verona.

Ego Vincentius, tit. S. Clementis, card. Montis Regalis.

Ego Philippus card. Spinula, tit. S. Sabinae.

Ego Gregorius, tit. S. Sixti card. Radzivil.

Ego Simeon card. de Terranova, tit. S. Mariae Angelorum.

Ego Scipio, tituli S. Salvatoris in Lauro, card. Lancellottus.

Ego Henricus, tit. S. Prudentianae cardin. Caietanus, S. R. E. camerarius.

Ego Ioan. Baptista card. Castrucius.

Ego Dominicus, tit. S. Chrisogoni, card. Pinellus.

Ego Hippolytus, tit. S. Pancratii, presb. cardin. Aldobrandinus, maior poenitentarius.

Ego Hieronymus, tit. S. Petri ad Vincula, S. R. E. presb. card. de Ruvere.

Ego Fr. Hieronymus, tit. S. Mariae super Minervam, S. R. E. presb. card. Asculanus.

Antonius Maria, tit. S. Agnetis, cardin. Perusinus.

Fr. Constantius card. Sarnanus, tit. S. Petri in Monte Aureo.

Ego Gulielmus card. Alanus, tit. S. Mariae in Montibus.

Ego Scipio, tit. S. Mariae de Populo, card. Gonzaga.

Ego Antonius, tit. S. Stephani, cardin. Saulius.

Ego Evangelista, tit. S. Matthaei in Merulana, presb. card. Cusentinus.

Ego Ioan. Franciscus, tit. S. Mariae in Via, presb. card. Maurocenus.

Marianus, tit. Ss. Marcellini et Petri, presb. card. de Camerino.

Ego Fr. Gregorius card. a Montelparo, tit. S. Augustini.

Ego P. card. Sfondratus, tit. S. Caeciliae.

Ego Benedictus Iustinianus, tit. S. Marcelli.

Ego Augustinus, tit. S. Laurentii in Pane et Perna, presb. card. Cusanus.

Ego Fr. Maria, card. Ss. Quirici et Iulitae.

Ego Octavius, card. S. Ioan. ante Portam Latinam.

Ego Fr., card. S. Mariae in Via Lata.

Ego Alexander S. Laurentii in Damaso, diacon. card. Montaltus, S. R. E. vicecancellarius.

Ego Hieronymus, S. Eustachii, diac. card. Matthaeus.

Ego Ascanius, S. Mariae in Cosmedin,
S. R. E. diac. card. Columna.

Ego Federicus, S. Nicolai in Carcere,
diac. card. Borromaeus.

Ego Guido, Ss. Cosmae et Damiani, diac.
card. Pepulus.

Ego Odoardus, S. Adriani, diac. card. Far-
nesius.

Ego Octavius, S. Georgii in Velabro, diac.
card. de Aquaviva.

Ego Flaminius, S. Mariae in Dominica.

Dat. die 4 novembris 1591, pont. an. 1.

II.

*Deputatio cardinalium Salviati et de
Camerino, in superintendentes tribu-
nalia omnium Urbis pro negociis
omnibus, quae ad iustitiae admini-
strationem, et Urbis eiusdem eiusque
districtus tranquillitatem pertinent*¹.

**Dilectis filiis nostris Antonio Mariae San-
ctae Mariae de Pace Salviati, ac Mariano
tit. Sanctorum Petri et Marcellini de Ca-
merino presbyteris cardinalibus nuncu-
patis**

Innocentius Papa IX.

**Dilecti filii nostri, salutem et apostolicam
benedictionem.**

§ 1. Pro faciliore expeditione iusti-
tiae, vos, de quorum integritate, litem-
rarum scientia et longa rerum experien-
tia plene confidimus, motu proprio et
ex certa nostra scientia ac de aposto-
licae potestatis plenitudine, simul et con-
iunctim, apostolica auctoritate, tenore
praesentium, constituimus, facimus et de-
putamus superintendentes, generales et
speciales, omnium negociorum iustitiae
administrationem ac almae Urbis nostrae
illiusque districtus bonum regimen quo-
modolibet concernentium infrascriptorum

¹ Ex Regest. in Secret. Brevium.

tribunalium Urbis et districtus praedicto-
rum, videlicet: Urbis gubernatoris, Curiae
Causarum Camerae Apostolicae generalis
auditoris, vice-camerarii, senatoris Urbis,
et Curiae Capitolinae, gubernatoris Burgi,
Ripae ac Ripettae iudicum et officialium
quorumcumque, nec non iudicum et of-
ficialium Urbis vicarii, non tamen quoad
eius causas spirituales; vobisque plenis-
simam et amplissimam facultatem et po-
testatem per praesentes damus, concedi-
mus et imperimur, ut tanquam generales
et speciales superintendentes, auctoritate
nostra, nullo alio desuper a nobis expe-
ctato mandato, iudicibus et officialibus
tribunalium supradictorum omnia et sin-
gula, quae ad eiusdem Urbis illiusque
districtus bonum regimen, felicem iusti-
tiae in praedictis causis directionem, li-
tium (earum praesertim in quibus de pau-
perum et miserabilium personarum nec
non ecclesiarum, monasteriorum, hospi-
taliu[m] et aliorum piorum locorum inte-
resse agi contigit) celerem prosecutionem
et finalem expeditionem, debitam qua-
rumcumque personarum pro consecu-
tione tam mercedis quam aliorum cre-
ditorum suorum legitime instantium sa-
tisfactionem, quarumcumque significa-
tionum (quibus debitores per decreta
eorundem iudicum et officialium quan-
doque ad longum vel breve tempus gra-
vari non permittuntur) revocationem,
subditorum pacem et tranquillitatem,
hannitorum et facinorosorum hominum
exterminationem, et signanter talearum
et nominationum contra eosdem hannit-
tos et facinorosos homines concessionem
et solutionem, franchitiarum Urbis qua-
rumcumque a quibuscumque locis contra
personas, cuiuscumque dignitatis et prae-
minentiae, in constitutione felicis recor-
dationis Pii IV, quae incipit: *Inter caete-
ras*; ac a recolendae memoriae Grego-
rio XIII confirmata, nominatas et quomo-

dolibet comprahensas, prohibitionem et
abolitionem. Constitutionum denique Sum-
morum Pontificum, praedecessorum no-
trorum, tam super eorundem Urbis tri-
bunalium reformatione, mercedum iudi-
cum praedictorum taxatione, et omni-
moda iustitiae administratione, quam con-
tra bannitos eorumque receptores et
fautores, et aliarum quarumcumque circa
bonum regimen et iustitiae administra-
tionem aliquid disponentium (quarum
constitutionum tenores praesentibus pro
expressis haberi volumus) hactenus edi-
tarum observantiam pertinere vobis vi-
debuntur.

§ 2. Nec non quaecumque, etiam nova,
edicta, bannimenta ac decreta, quae vos
occasione praemissorum necessaria et
opportuna esse iudicaveritis, iniungere,
mandare et publicari ac observari facere
libere et licite possitis et valeatis.

§ 3. Praeterea, ut omnes recursus, re-
clamationes et querelas in cuiuscumque
instantiae causarum, tam civilium quam
criminalium et mixtarum, progressu circa
praeiudicia et articulos rigurosi examinis
reis inferendi, sive copias inditorum eis-
dem dandi, vel terminum ad defensiones
faciendas concedendi, et circa alia prae-
iudicium irreparabile partibus quomodo-
libet inferentia decreta (salvo tamen et in
suo cursu libero remanente ordinario le-
gitimae appellationis a supradictorum iu-
dicum et officialium sententiis remedio,
quod per praesentes a collitigantibus mi-
nime auferre aut aliquo pacto impedire
non intendimus) contra quascumque per-
sonas, quaecumque auctoritate et dignitate
fungentes, de et super gravaminibus a
supradictis tribunalibus eorumque iudi-
cibus et officialibus in cursu cuiuscumque
instantiam supradictarum causarum, ut
praefertur, quomodocumque et qualiter-
cumque illatis seu inferendis, auctoritate
nostra audire, et causas huiusmodi gra-

vaminum, vocatis etiam, si ita vobis vi-
debitur, vocandis, extraiudicialiter tamen
et summarie, simpliciter et de plano, ac
sine strepitu et figura alicuius novi iu-
dicii, et quantum fieri poterit, sine retar-
datione ipsius processus causarum pen-
dentium, sola facti scilicet veritate inspe-
cta, et manu regia cognoscere, ac iudi-
cibus praedictis ut id, quod vos iustum
iudicabitis, decernant et iudicent, de-
mandare.

§ 4. Et insuper, ut ab eorundem tri-
bunalium iudicibus et officialibus omnium,
quae ab ipsis fieri contigeret, rationem ex
officio exigere, et in praemissis culpabi-
les repertos, ab exercitio suorum officio-
rum ad tempus suspendere, et illorum
loco per modum provisionis, donec per
nos aliter provisum fuerit, alios suffi-
cere, sive per poenas pecuniarias aut
etiam corporis afflictivas respective coer-
cere possitis, similiter amplam et omni-
modam facultatem et potestatem damus,
tribuimus atque concedimus per prae-
sentes.

§ 5. Praecipuum denique vestrum of-
ficiu[m] esse volumus, per hanc vestram
superintendentiam curare et efficere ut
iisdem iudices, officiales et alii in prae-
dictis suis tribunalibus et in supradictis
omnibus causis, praesertim criminalibus,
ius et iustitiam rite, incorrupte, aequa
lance, sine personarum acceptione, absque
aliquo partium praeiudicio aut gravamine,
et minori, quo fieri poterit, temporis et
collitigantium dispendio, eisdem partibus
ministrent; ut sicarii et facinorosi homi-
nes ab Urbe et eius districtu profligentur;
ut suum unicuique salvum et custoditum
conservetur et restituatur; ut denique
omnes in optata pacis et iustitiae tran-
quillitate vivant et perseverent.

§ 6. Quaecumque autem pro sicariorum
et exulum persecutione, si necessaria et
opportuna fore iudicaveritis, ea, ut perso-

Tribunalium
iudicis et offi-
cialis removen-
di.

Invigilandi su-
per aequa iusti-
tiae administra-
tione et Urbis
tranquillitate.

Et praedicta
exequendi in
territoriis S. S. S.
Piperni et Ter-
racinae.

nis, idoneis a vobis benevisis committere et mandare ac exequi facere similiter possitis et valeatis, etiam in civitatibus, territoriis et locis Setii, Piperni et Terracinae ob eorundem locorum cum districtu Urbis conjunctionem, licentiam pariter concedimus et elargimur.

Procedendi in criminalibus sine ulla irregularitatis nota.

§ 7. Et ulterius, ut praemissis omnibus, absque ullo conscientiae scrupolo, libere vacare possitis, quod praemissa omnia et singula faciendo, et in criminalibus causis votum dando, seu illis alias vos immiscendo, etiamsi inde sanguinis effusio, membrorum mutilatio, vel etiam mors sequatur, aliquam censuram vel poenam ecclesiasticam, seu irregularitatis vel infamiae maculam sive notam minime incurritis, per praesentes concedimus et indulgemus.

Clausulae pro validitate praedictorum.

§ 8. Decernentes omnia et singula per vos in praemissis et circa ea quomodolibet facienda, non secus ac si a nobis ipsis facta essent, valida et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere, neque de illorum validitate quomodolibet dubitari posse.

Eorum verbo in praemissis standum esse declarat.

§ 9. Et quoniam difficillimum foret probare quod singula communicata nobis cum consilio et particulari nostra iussione praecedente fient; ideo in omnibus et singulis negociis regimen Urbis illiusque districtus et locorum praedictorum, ut supra concernentibus, per vos quovis modo pertractandis, soli vestro verbo vel assertioni, etiam in scriptis, et absque praesentium litterarum insertionem vel narrativa, aut alia communicationis, consilii nobiscum factae, et particularis iussionis a nobis habitae probatione, credi, ac plenam et indubitata fidem, tam in iudicio quam extra illud, adhiberi debere.

Solique Dea rationem per eos esse reddendam.

§ 10. Quodque vos de omnibus et singulis per vos in praemissis faciendis nulli alteri, praeterquam soli Deo, rationem

aliquam reddere teneamini, volumus et ordinamus.

§ 11. Mandantes propterea iudicibus ac officialibus supradictis, ut sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis omnibus et singulis praeceptis, mandatis et ordinationibus vestris quibuscumque, tamquam de expresso mandato nostro factis, realiter et cum effectu pareant et obediant.

Eisque ab omnibus omnino obediendum.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac tribunalium praedictorum statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis tribunalibus predictis illorumque iudicibus in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die VI novembris MDCXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 novemb. 1591, pont. an. I.

III.

Reos condemnari vigore alicuius rescripti contra formam iuris, et confiscari legitimam filiorum, viventibus eorum genitoribus, aut arbitrariam compositionem recipi in Dataria, pro licentia danda dotem supra summam a statuto taxatam, prohibet in Urbe.

1 Quoad legitimam, contrarium decisum fuit extra Urbem, in Bulla LXIV Pii IV: *Et si cuncta*, tom. VII, pag. 186, et consonat Constit. XXIX Sixti IV: *Cura*, tom. V, pag. 295.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

Ad Romanum spectat Pontificem, inter multas et graves, quas pro communi christianae Reipublicae bono suscipit, curas, in eam quoque praecipuo studio incumbere, ut eius in temporalibus subditi, praesertim vero dilecti filii S. P. Q. R., quorum propria et peculiaris cura ei specialiter commissa est, non solum a quocumque gravamine, quoad fieri potest, immunes reddantur, sed privilegiis et gratiis in dies amplioribus ordinentur. Quare nos et muneris nostri debito satisfacere, et paternam charitatem ac benevolentiam, quam iam pridem erga eos gerimus, insigni aliquo monumento testatam esse cupientes, quo et ipsi benignitatem nostram experti, et alii, eorum exemplo, in fide, obedientia ac devotione Sanctae huius Sedis alacriori animo perseverent, atque ad promerendam uberem nostram et illius gratiam in dies magis invitentur.

Prohibitio contra ius reos condemnandi, vigore alicuius rescripti.

§ 1. Primum quidem hac nostra perpetuo valitura constitutione abolemus et ab hac incluta Urbe nostris volumus exulare temporibus modum illum procedendi contra reos alicuius criminis aut delicti, qui (licet iuxta dispositionem iuris communis, et sacrarum constitutionum, ac eiusdem Urbis statutorum, poena capitis plecti non debeant, tamen vigore specialis mandati et rescripti per Romanos Pontifices motu proprio seu alias signati) poena ultimi supplicii damnantur, et quod nobis licere non patimur, id etiam nostris successoribus indicamus, districtus prohibentes ne in posterum iudices quicumque, quavis auctoritate fungentes, reum aliquem contra iuris communis et apostolicarum sanctionum et statutorum Urbis tenorem, vigore seu praetextu rescriptorum huiusmodi, quae contra intentionem concedentis, per subreptionem

extorta censeantur, capitaliter condemnare praesumant.

§ 2. Praeterea volumus ac praesentium tenore decernimus quod in eadem Urbe nostra, si contingat filios, viventibus eorum genitoribus, delictum aliquod committere, ipsi parentes, quoad vixerint, ad solvendam seu tradendam legitimam portionem de propriis bonis eisdem filiis de iure debitam, minime cogi aut compelli possint; nec contra ipsos delinquentium genitores ad legitimae portionis praedictae confiscationem, per quosvis iudices procedi debeat; sed in quibusvis criminalibus causis iuris communis dispositio et statuta Urbis omnino serventur; necnon quascumque praedecessorum nostrorum constitutiones in contrarium forsitan desuper editas, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, ad terminos iuris ac dictorum statutorum, harum serie reducimus et moderamus; statutaque ipsa in hac parte approbantes, illa adversus quemcumque contrarium usum aut constitutionem restituimus et revalidamus.

Prohibitio discandi legitimam filiorum viventibus parentibus in Urbe.

§ 3. Et insuper, quia etiam accepimus usu receptum esse, ut pro obtinenda derogatione statuti seu reformationum eiusdem Urbis, super certa dotium puellarum, quae pro tempore nubunt, summa et quantitate editarum, compositio non certa sed arbitraria, iis, qui in Dataria et materiis componendis pro tempore praesident, solvatur; nos ipsius Urbis cives et incolas specialibus favoribus et gratiis prosequentes, illos a solutione compositionis huiusmodi perpetuo eximimus et liberamus, immunesque et exemptos esse volumus, districte interdicentes dilecto filio Datario, nunc et pro tempore existenti, ac praefecto compositionum, caeterisque ministris et officialibus, ne ab iis, qui in dicta Urbe cum aliqua ampliori dote matrimonia contrahentes, deroga-

Prohibitio exigendi compositionem pro licentia dandi dotem supra summam ab Urbis statuto taxatam.

tionem huiusmodi a nobis vel successoribus nostris impetrabunt, etiam si barones, domicelli et nobiles fuerint, dosque ipsa longe ultra taxam praedictam ad quamcumque summam excessiva extiterit, quidquam vel minimum pro simili compositione ullo modo exigant, neque ad eam quovis praetextu cuiquam solvendum compellant, statuto tamen ipso super taxa dictarum dotium nihilominus in suo robore permansuro.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras, etc. ex quavis causa et quocumque capite de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut quopiam alio defectu notari, impugnari seu invalidari vel revocari aut alias quomodolibet infringi seu adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari nullatenus posse; sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri et obtinerè, ac ab omnibus inviolabiliter observari et adimpleri.

Clausula sublati.

§ 5. Sicque et non alias per quoscumque iudices et commissarios et causarum Palatii Apostolici auditores et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate in quavis causa et instantia, iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio ex-quotorum.

§ 6. Quocirca dilectis filiis modernis ac pro tempore existentibus Sanctae Romanae Ecclesiae camerario ac vice-camerario, thesaurario et clericis praesidentibus Camerae Apostolicae, necnon gubernatori et senatori eiusdem Urbis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel quilibet eorum faciant praefatos S. P. Q. R., atque adeo singulares illorum personas, caeterosque omnes et singulos quos praemissa concernunt et concernent in futurum, illis pacifice frui et

gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, contradictores per opportuna iuris et facti remedia compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, nostra de non tollendo iure quaesito, quatenus praemissorum occasione cum publico detrimento ius alicui quaesitum dici aut censi quoquomodo possit; et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; nec non statutis, legibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac Sixti V et Gregorii XIV concessionibus super praemissis quomodolibet emanatis, aliisque litteris apostolicis tam supradictis quam quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis ac aliis efficacissimis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine ac consistorialiter et alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, expressa ac specifica mentio seu expressio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice, et ad effectum praemissorum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 8. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra illud, habeatur, quae eisdem originalibus haberetur, exhibitis vel ostensis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo primo, kalendis decembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die prima decemb. 1591, pont. an. 1.

IV.

Confirmatis litteris Sixti Papae V, quibus castra a monasterio Farfensi dependentia Camerae Apostolicae applicaverat, revocataque restitutione a Gregorio XIV facta abbatibus commendatariis, castra praedicta in bulla Pii Papae V, De non alienandis, comprehendendi declarat.

Innocentius Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Enarrat applicationem castrorum in rubrica expressorum a Sixto Papa V factam.

§ 1. Cum, sicut accepimus, felix recordationis Sixtus Papa V, alias vacantibus abbatibus Beatae Mariae Farfensis nullius, et S. Salvatoris de Scandriglia Sabiniensis dioecesis, insimul unitis, per obitum bonae memoriae Alexandri cardinalis Farnesii, illas dum viveret in commendam obtinentis, omnia et singula castra in Statu nostro ecclesiastico sub dictarum abbatiarum temporali iurisdictione existentia, quoad temporalem iurisdictionem, proprietatem, dominium et superioritatem, una cum eorumdem introitibus, redditibus et emolumentis ex iurisdictione praedicta provenientibus, in suo consistorio secreto de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium (de quorum numero tunc eramus) consilio et assensu, ac de suae apostolicae potestatis plenitudine, a dictis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium. — Sixti V litteras legere est in Appendice superius positam. XL, pag. 344, earumque initium est: Romanum decet.

abbatis perpetuo separaverit, ac Sedi et Camerae Apostolicae applicaverit et appropriaverit, prout in decreto consistoriali eiusdem Sixti praedecessoris, ac litteris apostolicis desuper expeditis latius continetur; cuius quidem decreti ac praedictarum litterarum vigore, realis et corporalis possessio dictorum castrorum et eorum temporalis iurisdictionis cum omnibus annexis, per tunc Camerae praedictae commissarium seu eius substitutum nomine Sedis et Camerae praedictarum capta, iuramentum debitum fidelitatis a vassalis eorumdem castrorum receptum, officiales et iudicantes ac regimen et temporalem iurisdictionem in illis exercendam deputati per plures menses fuerunt.

Possessionemque inde a R. C. A. officialibus captam.

§ 2. Cumque, sicut etiam accepimus, pia memoriae Gregorius XIV, praedecessor noster earumdem Sixti V litterarum revocationem ac reintegrationem quamdam de iurisdictione et dominio praedictis abbatibus et earum commendatariis extra consistorium fecerit, prout in litteris revocationis et reintegrationis huiusmodi plenius contineri dicitur.

Gregor. XIV ea abbatibus commendatariis restituerat.

§ 3. Nos igitur, cognoscentes dictam Sixti praedecessoris separationem et applicationem ex causis valde opportunis et necessariis factam fuisse, motu proprio et ex certa nostra scientia de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu, dictorum castrorum temporalis iurisdictionis, domini et superioritatis, cum illius emolumentis et annexis, prout in eiusdem Sixti praedecessoris decreto ac litteris continetur, a dictis abbatibus separationem, ac Sedi et Camerae praedictae applicationem et appropriationem, apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, approbamus et renovamus, ac etiam, quatenus opus sit, de novo facimus et decernimus.

Innocentius innovat litteras Sixti, iterumque dicta castra Camerae Ap. unit.

Revocatur
Gregorii XIV
reintegrationem
et quendam de-
clarationem Si-
xti super iure
abbatum cau-
sas appellatio-
num et recur-
sum cogno-
scendi.

§ 4. Necnon quendam etiam eiusdem Sixti extra consistorium post primodictas suas litteras emanatam declarationem seu restitutionem super iure cognoscendi causas appellationum et recursuum ad favorem dictarum abbatiarum factam sub datum kalendis augusti MDLXXXIX, pontificatus vero anno quinto, ac ipsam Gregorii XIV, praedecessoris praedicti, revocationem ac reintegrationem (quarum omnium et singularum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis haberi volumus), per praesentes de medio tollimus ac prorsus abrogamus.

Dicta castra
in Bulla Pii V
De non alienan-
dis comprehen-
di statuit.

§ 5. Castraque praedicta cum illorum temporali iurisdictione praedicta immediate Sedi et Camerae praedictae perpetuo applicamus et appropriamus, ac eisdem ita perpetuo esse incorporata decernimus, ut omnino comprahensa sint et esse intelligantur, sub prohibitione alienationis et aliorum in constitutione recolendae memoriae Pii Papae V contentorum, perinde ac caetera castra et loca sub immediato Sedis dominio praedictae et iurisdictione existentia.

Clausulae pro
praesentibus ob-
servantia.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac diffiniri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Executores
deputati.

§ 7. Mandantes propterea dictis filiis nostro et S. R. E. camerario, thesaurario ac decano, aliisque praesidentibus et clericis Camerae nostrae Apostolicae, quatenus praesentes nostras litteras in eadem Camera admittant et eiusdem Camerae libris annotari ac registrari faciant et mandent, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ec-

clesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV decembris MDXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 decembr. 1591, pontif. an. I.

*Sequitur commissio eiusdem Reverendae Camerae Apostolicae commissario de capienda possessione eorundem castrorum*¹.

Dilecto filio Angelo Rigotio de Colle
Veteri I. U. doctori

Innocentius Papa IX.

Dilecti Fili, salutem et apostolicam
benedictionem.

Cum nos hodie omnia castra in Statu ecclesiastico sub temporali iurisdictione abbatiarum Beatae Mariae Farfensis nullius, et Sancti Salvatoris de Scandriglia Sabinensis dioecesis, simul unitarum existentia, Sedi et Camerae Apostolicae applicaverimus, illaque una cum temporali iurisdictione praedicta immediate Sedi et Camerae praedictae perpetuo esse incorporata decreverimus, prout in decreto per nos desuper de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu in consistorio nostro secreto facto continetur, ac in litteris apostolicis prope diem expediendis latius explicabitur. Nos igitur, ne castra praedicta in temporalibus aliqua detrimenta patiantur, de tua in rebus gerendis dexteritate et solertia plurimum in Domino confisi, tibi per praesentes committimus et mandamus quatenus, statim visis praesentibus,

Commissio de
qua in rubrica.

¹ Ex Regest. in Secret. Brevium.

te ad dicta castra personaliter conferas, illorumque realem et actuaalem possessionem nostro et Camerae Apostolicae nominibus, omni mora et dilatione postpositis, capias et apprehendas; ac a subditis et vassallis castrorum huiusmodi, debitum fidelitatis iuramentum recipias, aliaque facias et exequaris, quae in praemissis necessaria et opportuna iudicaveris, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV decembris MDXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 decembr. 1591, pontif. an. I.

V.

*Committitur cardinali archiduci Austriae, in Portugalliae et Algarbiorum regnis de latere legato, ut insignia, vestes et vexilla inter confraternitates sub invocatione Beatae Mariae de Misericordia in civitate Ulixbonensi erectas, distinguat, litesque inter ipsas exortas componat*¹.

Dilecto filio nostro Alberto tituli S. Crucis in Hierusalem presbytero cardinali Archiduci Austriae nuncupato, et Apostolicae Sedis in Portugalliae et Algarbiorum regnis de latere legato

Innocentius Papa IX.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam
benedictionem.

Portugalliae
regis confrater-
nitatis de Mi-
sericordia in-
stituta, pri-
vilegia quibus
que praevaleant.

§ 1. Pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nobis expositum fuit quod, cum a pluribus annis in civitate Ulixbonensi, clarae memoriae Portugalliae et Algarbiorum regum opera et pia devotione, una insignis sub invocatione Bea-

¹ Ex Regest. in Secret. Brevium.

tae Mariae de Misericordia confraternitas, in qua pietatis opera in honorem Domini nostri Iesus Christi sanctissimaeque Virginis Mariae eius Matris et proximorum utilitatem et commodum per illius confratres et sodales (in quorum numerum quamplurimi nobilium et principalium dictae civitatis virorum descripti reperiuntur) exercerentur et, iuxta evangelicam doctrinam, adimplerentur, fundata et instituta fuisset, quam praedictae memoriae Emmanuel et Ioannes eius filii, dictorum regnorum reges, multis privilegiis et donationibus auxerunt, magnificis constructis fabricis, ornamentis ac paramentis elargitis, amplificaverunt, plurimisque a summis Romanis Pontificibus obtentis gratiis et indulgentiis ita munierunt ac decorarunt, ut crescente in dies christifidelium devotione et affectu erga illam, ex eorundem piis elemosynis ac largitionibus undequaque collectis pro captivis redimendis, pauperibus ac orphanis virginibus collocandis, viduis et aliis miserabilibus personis sublevandis, in carceribus detentis sustentandis, ultimo supplicio damnatis confirmandis et associandis, mortuis sepeliendis, caeterisque misericordiae operibus summa pietate exercendis, necnon divinis officiis pro vivis et defunctis peragendis satis superque sufficerent.

§ 2. Tamen, a nonnullis annis citra, in eadem civitate, quorundam etiam inferioris conditionis hominum aemulatione magis quam charitatis fervore, nonnullas alias sub diversis invocationibus et denominationibus confraternitates institutas et erectas fuisse, in quibus eadem pietatis opera, quae ex praecipuo primodictae confraternitatis Misericordiae instituto existunt, exercere contendunt, vestesque, vexilla, feretrum pro mortuis ad sepulturam conducendis aliaque dictae confraternitatis insignia per urbem deferre,

Aliae confraternitates istae ab aliis fuere institutae, quae eadem insignia gestantes non eadem misericordiae opera exercebant, ac confraternitati supradictae minuebantur elemosynae.

sibique assumere et usurpare praesumant, ex quo gravia scandala et dissensiones quotidie oriri videntur, eleemosynaeque ipsae, ex quibus praedicta charitatis opera in primodicta Misericordiae confraternitate commode et utiliter proficiebantur et exequabantur, magna ex parte deficere et imminui coeperunt, ex dictisque noviter erectis confraternitatibus (licet perquirendis eleemosynis et procurandis piorum donationibus illarum sodales nimis sollicitate intendant) nulla aut minima pauperibus et miserabilibus personis subsidia et commoda proveniri reperiantur; quibus nisi praesenti remedio subveniatur, primodicta Misericordiae confraternitas plurimum imminui, maximo Christi pauperum detrimento et incommodo, videbatur.

Pro remedio supplicat rex.

§ 3. Quare pro parte dicti regis nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Innocentius cardinali archiduci Austriae ea committit, quae in rubrica recensentur.

§ 4. Nos igitur, qui pietatis opera in dies crescere et augeri, scandala inter personas similibus operibus exercendis intentas orta submovere, caeteraque impedimenta de medio tollere summis affectibus desideramus, huiusmodi incommodis occurrere volentes, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus quatenus, vocatis qui fuerint vocandi, de praemissis etiam summarie et de plano, ac sola facti veritate inspecta, si tibi videbitur, extrajudicialiter te diligenter informes; et si per informationem eandem tibi constiterit ex erectione secundo dictarum confraternitatum ac illarum exercitiis, praecipueque ex feretri, vexillorum et aliorum insignium, quibus primodicta Misericordiae confraternitas ulitur, delatione et usurpatione, eidem aliquod praeiudicium et detrimentum inferri, exindeque dissensiones inter illius et aliarum confraterni-

tatum confratres in diminutionem dictorum pietatis operum suboriri et scandala proveniri posse, praeiudicium et scandala huiusmodi, omni et quacumque appellatione aut reclamatione remota, tollere et remove, praedictaque insignia, vestes ac vexilla inter ipsas confraternitates, nec non opera per illas exercenda ita distinguere, ut nec se invicem impedire aut turbare, nec opera charitatis praedicta intermitteri ullo modo possint vel debeant: quaeque tibi pro pace et quiete componenda et observanda videbuntur necessaria, facere et exercere, omnibusque opportunis iuris et facti remediis exequi, auctoritate nostra, cures.

§ 4. Nos enim tibi omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria quomodolibet et opportuna faciendi, gerendi et exequendi plenam et liberam facultatem et auctoritatem, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Ad quae perficienda opportunas concedit eidem facultates.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et praesertim nostra de non tollendo iure quaesito, dictarumque confraternitatum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illarumque protectoribus, administratoribus et personis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, quoad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx decembris MDXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 decemb. 1591, pont. an. I.

VI.

Prioratus Baruli seu de Barletta, Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani, collationem Sedi Apostolicae reservat¹.

Innocentius Papa IX.
ad futuram rei memoriam.

Reservatio, de qua in rubrica.

§ 1. Ut de prioratu Baruli seu de Barletta, hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quem dilectus filius noster Ioannes Vincentius, tituli S. Alexii presbyter cardinalis Gonzaga, in titulum vel commendam aut alias ex concessione seu dispensatione apostolica nunc obtinet, quandoque vacare contigerit, nos et Sedes Apostolica libere, ac sublatis impedimentis omnibus, disponere valeamus; motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac ex causis animum nostrum moventibus, nobisque benevisis, prioratum huiusmodi ex nunc dispositioni nostrae ac eiusdem Sedis Apostolicae specialiter ac nominatim reservamus, ita ut, adveniente illius vacatione, sive per obitum, etiam apud Sedem eandem, aut etiam apud conventum eiusdem hospitalis, aut alibi in quacumque mundi parte, sive per liberam resignationem, etiam coram notario et testibus sponte factam, aut aliam quacumque dimissionem vel amissionem praedicti Ioannis Vincentii cardinalis, aut alias quovis modo, dilectus filius magister aut conventus hospitalis praedicti aut aliae personae, quavis etiam apostolica auctoritate, de illo disponere minime valeant; sed nos et Sedes praedicta aut pro tempore existens Romanus Pontifex de eodem prioratu in favorem cuiuscumque personae, etiamsi, iuxta statuta et stabilimenta eiusdem hospitalis omnia requisita non habuerit, libere disponere illic conferre, aut in titulum sive com-

¹ Ex Regest. in Secret. Brevium.

mendam vel administrationem dare et concedere possit.

§ 2. Inhibentes propterea tam magistro et conventui S. Ioannis Hierosolymitani praedictis, quam quibusvis aliis interesse quomodolibet praetendentibus, ne se in eo intromittere quoquo modo audeant vel praesumant, decernentes irritum et inane quidquid secus super his ab illis seu a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Inhibitio m. magistro, quominus in huiusmodi collatione se ingerat.

§ 4. Non obstantibus cancellariae nostrae apostolicae regulis ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et stabilimentis, usibus et naturis hospitalis huiusmodi; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac gratiis quibuslibet magistro et conventui praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu simili et consistorialiter, ac ad imperatoris, regum vel aliorum principum instantiam et contemplationem aut alias quomodolibet concessis, et plures ac iteratis vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; necnon gratiis et expectativis, tam a dictis magistro et conventu, quam etiam a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac a nobis et Sede praedicta quibusvis personis generice ad quoscumque dicti hospitalis prioratus vel alia beneficia aut etiam forsitan nominatim ad hunc ipsum, quavis auctoritate concessis; quibus omnibus, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis nullo modo derogari possit, nisi vel si etiam de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum expressa mentio haberetur, et certa inibi, tunc expressa, forma obser-

Derogatio contrariorum.

varetur, et nisi ad hoc magister, conventus aut alii interesse habentes seu praetendentes vocati non fuerint; quodque aliter factae derogationes non valent, et nullatenus suffragentur, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis, ac formas pro plene observatis habentes, ad hunc effectum, specialiter, expresse ac latissime derogamus, ac derogatum esse volumus et decernimus, il-

laque omnia adversus hanc reservationem, nemini omnino suffragari, perinde ac si non emanassent, decernimus pariter et declaramus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI decembris MDXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 decembr. 1591, pont. an. I.

CLEMENS VIII

PAPA CCXXXIII

Anno Christi MDXCII.

Die xxx ianuarii MDXCII, Hippolytus Aldobrandinus, patria Florentinus, sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis tituli sancti Pancratii, electus est Romanus Pontifex, qui, Clementis VIII nomine assumpto, sacra thiara redimitus est die II februarii. Sedit temporibus Rodulphi II imperatoris, ann. XIII, mensem I, dies V; creavitque diversis temporibus cardinales LVI. Obiit die III martii MDCV, sepultusque fuit in basilica Vaticana. Vacavit Sedes dies vigintinovem.

I.

Prorogatio ad aliud quinquennium applicationis fructuum ecclesiae Chissamensis in insula Cretae collegio Graecorum in Urbe erecto¹.

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum alias felicitis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, per suas litteras datas idibus ianuarii,

¹ Ex Regest. in Secret. Brevium. — Hoc Collegium fundavit Gregorius PP. XIII, Const. LXIII, quae incipit: *In Apostolicae*, tom. VIII, pag. 159. Eidemque Collegio Sixtus PP. V officium diaconi et subdiaconi pro capellis pontificiis addixit Const. LXXXI, quae incipit: *Religiosa*, tom. eodem, pag. 833.

Gregor. XIII collegio Graecorum ad quinquennium applicationis fructuum ecclesiae Chissamensis.

pontificatus sui anno V, collegio scholarium Graecorum, in alma Urbe tunc erecto et instituto, in sustentationem eorundem scholarium, Chissamensis ecclesiae in insula Cretae, tunc certo modo vacantis, fructus, redditus, proventus, iuraque, obventiones et emolumenta (dempta eorum certa portione) ad annos quindecim applicaverit; prout in eiusdem litteris plenius continetur.

Clemens ad alios quinque annos prorogat huiusmodi applicationem.

§ 2. Et, sicut accepimus, tempus huiusmodi iam forsitan effluxerit, sive eius finis nunc instet; nos, considerantes ecclesiam praedictam, quae adhuc vacat, clero populoque latino omnino carere, praeter paucos quosdam canonicos, qui tamen a longo seu immemorabili tempore, sive ob tenuitatem praebendarum, sive alias ob causas, in ea non resident, sed apud Cidoniensem ecclesiam, cui inservire solent, atque piae menti dicti Gregorii praedecessoris inhaerentes, convenire iudicavimus subsidium huiusmodi collegio praedicto ad aliquod longius tempus prorogare, donec, Deo dante, talis praedictae Chissamensis ecclesiae constitui possit episcopus, qui etiam clero et populo graeco in eadem insula sacramenta et quae sunt pontificalis ordinis valeat ministrare. Quare applicationem et assignationem omnium dictae Chissamensis ecclesiae fructuum, reddituum et proventuum, omniumque iurium, obventionum et emolumentorum per ipsum Gregorium praedecessorem dicto collegio, ut praefertur, factam, et ipsum tempus dictorum quindecim annorum, quatenus adhuc daret, ad alios quinque annos a fine dicti quinquennii computandos, auctoritate apostolica, tenore praesentium, prorogamus, extendimus et ampliamus; quatenus vero lapsum sit, eosdem fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta omnia, exceptis ducatis centum quinquaginta monetae venetae, admi-

nistratori seu vicario, qui auctoritate apostolica eidem ecclesiae deputabitur, persolvendis ipsi Graecorum collegio, pro eius alumnorum sustentatione, similiter ad annos quinque, ut praefertur numerandos, cum omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et gratiis, quae in ipsius collegii erectione ac praedictis Gregorii praedecessoris litteris desuper confectis, sunt expressa, et alias, iuxta illarum tenorem, quem praesentibus haberi volumus pro expresso, auctoritate et tenore praedictis, de novo applicamus, concedimus et assignamus, itaut ab ipsius collegii procuratoribus per dilectos filios nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales eiusdem collegii protectores nunc et pro tempore existentes deputatis, propria auctoritate, ea omnia exigi, percipi et levare, praediaque, domus et bona quaecumque locari, aliaque ad id opportuna et necessaria fieri possint.

§ 3. Interim vero, ne ipsa ecclesia aliquid in spiritualibus detrimenti patiatur, dilectum filium Paulum Magnanum de Utino, Ordinis Eremitarum S. Augustini professorem, eiusque ecclesiae, illius Sede vacante, in spiritualibus vicarium, ad quinquennium praedictum, auctoritate et tenore praemissis, constituimus et deputamus, eique pro sua et unius presbyteri capellani, qui ipsi ecclesiae deserviat, congrua sustentatione, et onerum pro divino cultu in ipsa ecclesia conservando supportatione, ducatos centum quinquaginta monetae venetae praedictos, sibi annuatim, per eiusdem collegii procuratores, in tribus terminis, in fine videlicet cuiuslibet quadrimestris, persolvendos, attribuimus et assignamus.

§ 4. Nec non eidem Paulo vicario omnia et singula in praedicta ecclesia gerendi, exercendi, mandandi, ordinandi et exequendi, etiam per se vel alium seu alios,

Vicarium in ecclesia Chissamensi deputat.

Necessarias eidem vicario concedit facultates.